

membra, ergo sine aliqua ratione non potest tollere hanc conformitatem.

QUESTIO III.

Quale peccatum sit dispensare in lege humana sine causa?

SUMMARIUM.

- 14 Prima sententia, esse veniale.
- 15 Secunda, & verior, mortale.
- 16 Probatur ratione.
- 17 Multis aliis confirmatur.

14. **E**T est duplex sententia in hac materia. Prima affirmat esse tantum peccatum veniale, secluso scandalo, vel notabili aliquorum damno, seu gravamine vel Reipublice detrimto, in his enim casibus dicunt esse mortale peccatum dispensare in lege humana sine causa, ratione circumstantiae extrinsecae actui superaditae, non vero ex intrinseco objecto, quatenus praecise exemptio est a lege sine causa. Ita Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 18. n. 7. & pro ea citat Navarrum, Rodrig. & alios, pro ea etiam stant Layman. lib. 1. tract. 4. c. 22. num. 13. Tannerus part. 2. disp. 5. quest. 7. n. 29. Diana part. 1. tract. 10. de legibus. Resol. 3. Fundamentum est, quia dispensatio legislatoris in sua lege, non videtur res tanti momenti, ut ad peccatum mortale pertineat.

Sanchez. Rodrig. Layman. Tannerus. Diana.

15. Tamen opposita sententia mihi videtur verior, ac probabilior, affirmans supertorem dispensare in propria lege sine justa causa ex genere suo esse peccatum mortale, nisi quando ex levitate materiae sit veniale, Ita Cajetanus, Covarr. Sotus, Navarrus, quos citant, ac sequuntur Suar. lib. 6. de legib. cap. 19. n. 9. Valquez 1. 2. disp. 17. c. Valentia tom. 2. disp. 7. quest. 5. punct. 9. Petrus de Ledesma tract. de Matrim. cap. 27 post. 4. conclus. dub. 1. & Sanchez citatus faretur hanc sententiam esse probabilem.

Cajer. Covarr. Sotus. Navarr. Suar. Vasquez. Valentia. Sanchez.

16. Probatur hac ratione. Dispensare sine justa causa in lege humana est contra iustitiam, ex qua tenetur princeps sine causa non dispensare, sed peccatum contra iustitiam ex genere suo est mortale, ut tenet communis doctrina, ergo talis dispensatio est peccatum mortale. Major ostenditur, quia iustitiae obligatio est triplex, legalis, commutativa, distributiva. Primò peccat contra iustitiam legalem, quae respicit bonum commune, & princeps dispensando sine causa, maxime nocet bono communi. Secundò peccat contra iustitiam commutativam, quae dat unicuique quod suum est. Tertio, & evidenter peccat contra distributivam, quae ponit aequalitatem, in dividendo bona communia, princeps autem dando dispensationem sine causa, committit acceptationem personarum, quae opponitur iustitiae distributivae, ut tradunt Theologi 2. 2. quest. 63. & ideo hoc peccatum, ut ait Suar. citatus num. 10. ex genere suo constituitur, in hac specie acceptationis personarum, praecipue cum accedat obligatio, quam ex officio habet princeps non dispensandi sine causa.

Suar.

Confirmatur primò Quia omnis acceptio personarum, ex genere suo est peccatum mortale, in tali dispensatione sine causa datur acceptio personarum, ergo datur peccatum mortale. Confirmatur secundò, quia lex ex intrinseca sua ratione fertur in bonum commune, ut dicunt Theologi, & Jurista, ergo dispensatio in lege sine causa credit in magnum damnum boni communis, & inde est mortale; illud enim est mortale, quod intra propriam speciem dicit magnam difformitatem cum lege, ut est dispensatio sine causa. Quis enim dicit non esse mortale dispensare in jesuino quadragesimae, vel cum sacerdote in recitatione divini Officii sine justa causa.

173

QUESTIO IV.

An Praeatus peccet dispensando quando dubitat de sufficientia causae ad dispensandum.

SUMMARIUM.

- 18 Prima sententia affirmat non peccare.
- 19 Si probabiliter opinatur non peccat, secus si dubitat.

Sylvester verb. dispensare quest. 14. num. 20. Sanchez in Decalogum lib. 4. cap. 45. num. 10. Sylvest. & alii, existimant non peccare, quia alia datur via ad multos scrupulos, & ad multam inquietudinem, ac perturbationem conscientiae, & ita etiam tenet Diana tract. 10. de legib. Resol. 31. Tamen mihi cum distinctione videtur dicendum cum Medina tract. de poenitent. quest. de dispensatione Bonancini. disp. 1. de legib. quest. 1. punct. 3. num. 7. Quia si legislator probabiliter opinetur, an adit causa justa dispensandi, tunc potest securè dispensare, accommodans se opinioni probabili, & tunc qui secundum illam operatur, tuta conscientia agit, at vero si dubitat an detur sufficiens causa, tunc cum peccato dispensat, exponit enim se periculo dispensandi sine causa, & fieri potest, ut re ipsa causa non sit sufficiens.

191

QUESTIO V.

Quae causa sit sufficiens ad iuste dispensandum.

SUMMARIUM.

- 20 Duplex causa ad dispensandum, intrinseca, & extrinseca.
- 21 Causa ad dispensandum, commune bonum.
- 22 Ad dispensandum requiritur causa rationalis.
- 23 Haec autem causa ex multis partibus considerari.
- 24 Ad dispensandum per privilegium sufficit causa remota.

Ex communi placito Theologorum, duplex esse potest causa dispensationis, una intrinseca,

20.

intrinseca, altera extrinseca. Intrinseca est, quando in persona dispensanda inveniant aliquod impedimentum, ob quod obligatio legis est valde gravis, & onerosa, ut verbi gratia jesuenum ob debilitatem corporis. Extrinseca est, quae sumitur ad dispensandum ex circumstantiis extrinsecis, verbi gratia ex nobilitate personae, vel ejus meritis. Hoc posito

21. **C**ausa generalis in principe ad dispensandum debet esse bonum commune, ut D. Thomas 2. 2. quest. 97. art. 4. & est valde commune, & sequuntur omnes Theologi, quos late citat Salas, disp. 8. sect. 8. Quia quemadmodum lex non potest esse justa, nisi bonum commune respiciat, ita nec dispensatio, si vero ad commune bonum tendat, jam incipit esse justa, quia commune bonum melius est, quam privatum; unde Concilium Trid. sess. 25. cap. 18. dixit, leges tantum debere relaxari, ut communi utilitati satisfiat.

D. Thom.

Salas.

Trident.

22. Haec autem rationalis causa ad dispensandum legitima auctoritate, juxta prudentis viri arbitrium desumenda est, & communiter cum aliis tenent Reginald. in praxi lib. 3. cap. 19. n. 194. Fr. Joannes à Cruce, lib. 2. cap. 1. dub. 1. Barbo ad citatum locum Concilii. Haec autem cause ut desumuntur ex cap. requisitis, §. Nisi rigor, quest. 7.

22.

23. Ad dispensandum multae causae & variae sunt, juxta varia genera dispensationum, & sunt pietas in Deum, verbi gratia, ad Dei templum edificandum, necessitas communis, vel privata; utilitas, ac commoditas communis, ac privata, qualitas personae, ac meritorum ejus, & alia, quae pro qualitate loci, temporis, ac circumstantiarum praedictarum arbitrio pensanda sunt, ut notant Sylvester verbo dispensatio, num. 3. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 15. quest. 8. M. Lezana verb. Dispensare, num. 2. His adde, quod maxime ad bonum Reipublicae pertinet quod privatae ejus personae fruatur salute, divitiis, meritis remuneratis, quiete, & commode & pacifice vivant, & inde passim dispensatur in impedimento matrimonii, propter honorem, vel paupertatem mulieris, in voto castitatis propter periculum incontinentiae, vel in aliis rebus veteris propter periculum peccandi, & etiam ob Eminentem personam principis, generis nobilitatem, & ob majorem commodum, ac firmitatem regni.

24. Argues, Ad commutandum, ac dispensandum per privilegium, non requiritur causa justa, ergo nec etiam ad dispensandum in propria lege requiritur justa causa; Nam si per privilegium habeo velut jus ad impetrandam rem, tanquam propriam, à fortiori habebit legislator in sua lege, cum sit res propria.

24.

25. Argumentum petit illam quaestionem, an dispensatio, vel commutatio facta per privilegium, vel per Jubilaeum, vel bullam cruciatam requirat justam causam? Respondeo proprie nullam aliam causam requiri particularem, praeter eam, quae assignatur in bulla, vel Jubilaeo. Ita Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 19. num. 10. Porrel. in Additionibus, ad dubia Regularia verb. voti commutatio. Diana, tract. de bulla cruciata Resol. 39. Probatur, quia licet ad commutandum in aequale, vel ad dispensandum ordinariè requiritur justa causa, tamen quando commutatio, vel dispensatio fit

Suar. Porrel. Diana.

per privilegium, non sit absolute, sed cum aliquo onere, ob bonum publicum, ut fit per bullam cruciatam, vel Jubilaeum, ergo nulla alia causa requiritur, quam dare elemosynam in belli subsidium, vel exequi opera praeccepta in Jubilaeo, quia ob talem causam Pontifex concedit facultatem dispensandi, ac commutandi, & ut ita loquar, ad dispensandum per privilegium, licet non detur justa causa proxima, & immediata, tamen datur justa causa remota, nempe elemosyna, vel preces in subsidium, ac ad illius victoriam.

26.

Ad argumentum concedo antecedens, nego consequentiam. Et major ratio est, quia ad impetrandum privilegium habui justam causam, & sic jam antea iuste habeo jus ad dispensationem, quod idem est licet proximè, ac immediatè non habeam justam causam ad dispensationem, habui tamen remotam, quae dedit occasionem dispensatori, ut iuste, ac valide dispenseret.

QUESTIO VI.

Utrum Praeatus possit secum immediatè dispensare?

SUMMARIUM.

- 27 Praeatus potest dare potestatem suo Confessori, ut eum absolvat à peccatis, ac censuris.
- 28 Prima, & secunda sententia negat Praeatum posse secum dispensare.
- 29 Tertia sententia, & vera affirmat posse, & probatur, & num. 30.
- 31 Praeatus potest secum dispensare valide, sed non licitè.

Quærimus in praesenti, an eo casu in quo Praeatus potest dispensare cum aliis, possit etiam secum dispensare, & imprimis certum est, posse Praeatum dare potestatem suo Confessori ad dispensandum cum eo, in omnibus his, quae potest cum suis subditis dispensare Saar. In quo videtur Suarius, dubitasse tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 15. num. 5. Tamen lib. 6. de legibus, ut statim referam, stat pro communi sententia, quam valde frequenter tenent Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 8. de Matrim. di. 3. n. 3. & sumitur ex cap. finale de Poenitentia, & remissionibus. Deinde Praeatus non debet esse deterioris conditionis, quam subditi; unde tradunt Suar. tom. 2. de censur. disput. 41. sect. 2. Sayro, tom. 1. lib. 7. Sayro. cap. 14. n. 5. esse declaratum per Sacram Congregationem Cardinalium, quod in casibus occultis commissis Episcopo in Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformatione, si Episcopus, in eos incidat, potest absolvi, & dispensari ab eis à Confessore à se electo.

27.

Sanchez.

28.

Tota difficultas in hac re est, an Praeatus possit directè, & immediatè verè, & proprie dispensare secum in irregularitatibus, votis, & praecceptis Ecclesiae, quoties id potest cum suis subditis. In qua re est triplex sententia. Prima absolute negat etiam includendò

includendo summam Pontificem. Ita Angelus, Imola, Paludanus, & alij apud Sanchez citatum num. 4. secunda sententia utitur distinctione: Concedit summo Pontifici alijs vero praelatis negat. Ita Henriquez, lib. 6. de penitent. cap. 4. num. 3. in Commentar. littera I. & cap. 7. n. 5. in Comment. litter. B. Azor. lib. 1. cap. 15. q. 6. Rodrig. 1. regul. quast. 45. & alij.

Henriq. Azor. Rodrig.

29.

Tertia, & vera sententia, ac probabilior, ait posse Pontificem, Episcopum, vel Prælatum Regularem, vel quemcumque alium dispensare secum immediatè in his, quæ potest dispensare cum suis subditis. Ita D. Thomas, 2. 3. q. 85. art. 8. Corduba, lib. 3. quast. 31. Sanchez, citat. disp. 3. à n. 4. ubi citat Sylvestrum, Covarr. & alios, Suar. 6. de legibus cap. 12. num. 12. Salas, disp. 20. sect. 3. num. 14. Valentia, tom. 4. disp. 7. quast. 20. punct. 3. Bonacina tom. 2. disp. 1. de leg. q. 2. punct. 1. n. 9. Diana, q. 10.

D. Thom. Sylvest. Corduba. Sanchez. Suarez. Salas. Valentia.

30.

Pro resolutione quæstionis notandum est, quod actus jurisdictionis est duplex; unus qui est per modum coactionis, seu iudicii, seu sententiæ; alter est actus jurisdictionis voluntariæ, & gratuita, ut concedere indulgentias.

31.

Nostra resolutio probatur hoc discursu, quia quod aliquis prælatus possit secum dispensare, non habet repugnantiam, vel contrarietatem: nec ex jure naturali, seu divino, nec ex jure humano, ergo prælatus ordinarii possunt erga semet ipsos dispensare, nam valent agere omne illud, quod nec in specie, nec in genere eis prohibetur. Antecedens probatur. In primis non repugnat ex jure naturæ, vel etiam Divino, quia nullum assignabitur, præcipuè cum dispensatio non fiat per modum iudicii, & sententiæ, ob quam causam nullus potest, nec sacramentaliter, nec à censuris se ipsum absolvere, nec se ipsum excommunicare. At dispensatio fit ex directione voluntaria prudentialis iudicii considerando justam dispensationis causam, quæ quando est notoria, & evidens potest Prælatus eam in se considerare, ut secum dispense.

Abbas. Barbosa.

32.

Quod verò non repugnet ex jure humano, probatur, quia si aliqua esset, daretur ex cap. finali. n. 5. de Institut. ubi decernitur quod Prælatus Collator beneficio ù non possit se ipsum instituire, nec sibi conferre beneficium; redditur ratio, quia inter dantem, & accipientem debet dari distinctio. Sed hæc ratio, ut ibi bene notant, solum militat in citato Textu, ne Prælatus præbeat exemplum ambitionis se ipsum instituens in beneficium, & non est extendenda talis ratio ad alia; si quidem in universum non requiritur distinctio personalis inter dantem, & accipientem, nam in naturalibus, verbi gratia, potentia visiva agit, seu producit visionem, & eam recipit. In Sacramentis idem Sacerdos est minister Euchariæ, & receptor. Item stando in puncto juris, talis distinctio non requiritur; quia Rex ut homo fidelis, est servus Ecclesiæ, ut verò Rex patronus, cap. si Ecclesia in fine 23. q. 4. Item Archiepiscopus, qui sine Pallio exercet Pontificale, graviter peccat, cap. quod sicut de electione. At verò si antea erat Episcopus, sine culpa potest exercere; ibi Glossa, verbi. Tanquam ergo stando in jure nulla requiritur distinctio

Glossa.

personalis inter agentem, & patientem, seculo ordine iudicario; ergo Prælatus potest agere, se ipsum dispensando.

Dices Dispensatio est actus jurisdictionis, atqui nemo habet jurisdictionem in se ipsum, ergo nemo potest secum dispensare. Respondetur, quod dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ, & non coactivæ, & quamvis nemo possit in se exercere actum jurisdictionis coactivæ, ac ordinis iudicarii, optimè tamen actum jurisdictionis voluntariæ, ac beneficiæ, ut sibi concedat indulgentias, ut cum multis tenet Suar. tom. 4. ad 3. part. disp. 32. de indul. Suar. gentis sect. 1. num. 22.

Dices secundò. Ex cap. magna de voto, Ubi laudatur Episcopus Tercentus, qui noluit secum dispensare in voto, sed pro illo habuit recursum ad sedem Apostolicam, Respondetur, quod laudatur non quia id esset necessarium, sed valde decens, & convenientius, ut est semper recurrere ad superiorem, at ad esse, & validitatem, poterat secum dispensare.

Quæres tamen, utrum legislator possit secum iusta causa, valide, & licitè dispensare. Suar. 6. de leg. cap. 18. num. 11. & cap. 19. n. 17. & 20. cum alijs tenet, legislatorem sine causa non posse licitè, ac valide dispensare secum; & ratio eorum est, quia superior ex jure naturali tenetur legem suam servare, obligatio autem juris naturalis, non potest auferri sine causa iusta.

Tamen probabilis Navarrus in summa præludio, q. num. 14. Cajetanus, 1. 2. quast. 96. art. 5. Bonacina tom. 1. disp. 1. quast. 2. punct. 3. n. 6. docent, quod legislator potest secum sine iusta causa dispensare valide, sed non licitè. Quod possit valide inde ostenditur quia potest cum alijs valide sine causa dispensare, ut tenent Sanchez, lib. 8. de Matrim disp. 18. Sayrus, de censuris lib. 3. cap. 10. num. 11. Suar. Azor. Henriquez, & alii, quos citat, ac sequitur Bonacina citatus. Et ratio est, quia obligatio legis pendet à voluntate legislatoris, ipse enim est Dominus legis, ut etiam ipse Suar. ait lib. 6. de leg. cap. 19. num. 6. ergo potest alios eximere, ab obligatione legis, ergo & se ipsum, & in hoc legislator non auferit legem naturalem, sed se ipsum eximit ab obligatione legis, quæ ab ipsius voluntate pendet; quam lumine naturali servare tenetur, nisi eximatur, quod verò non licitè inde declaratur, quia superior debet se cum suis membris conformare, & cum eis quandam æqualitatem habere.

33.

34.

35.

36.

37.

38.

39.

40.

41.

QUESTIO VII.

Utrum valida sit dispensatio facta à Prælato inferiori in lege superioris, causa non iusta, quam bona fide existimabat iustam.

SUMMARIUM.

- 37 De prælato inferiori procedit quæstio. Prima sententia affirmat validam esse dispensationem, & num. 38.
39 Secunda, & verior negat, & rationibus probatur, & num. 40. & 41.

42. Propo

42 Proponitur primum argumentum, & respondetur ad legem Barbarius, num. 43. & 44.

45 Proponitur secundum argumentum, agitur de alienatione bonorum Ecclesiæ, & num. 46.

47 Proponitur tertium argumentum, de possessore bona fidei.

37.

Quando supremus legislator sine causa in sua lege dispensat, validam esse dispensationem, patet ex proximè dictis superiori quæstione. Quæstio proposita procedit de Prælato inferiori in lege superioris, dum bona fide existimat se habere potestatem ad dispensandum, cum revera non habeat. In qua re est duplex sententia.

38. Sanchez. Azor. Rebellus. Diana.

Prima affirmat validam esse dispensationem. Ita Sanchez lib. 8. de matrimonio, disputat. 17. numer. 8. Azor. part. 1. lib. 7. cap. 29. quæstio 9. Rebellus 2. part. lib. 3. quæst. 6. num. 12. Diana 1. part. tract. 10. de legibus, Resol. 33. & idem multi dicunt de jure divino, ut in voto, vel juramento.

39.

Secunda sententia est mihi verior, ac probabilior, eam tenet Salas disput. 20. de legibus, sect. 4. num. 35. citans Navarrum, Lopez, & alios. Bonacina, tom. 1. disp. 1. de legibus, quast. 2. punct. 3. num. 8. & ait hæc sententia, quod quamvis in præcitato casu dispensatio sit nulla, quod ille, cum quo est dispensatum, sit in bona conscientia, donec de insufficientia causæ ei certo constet, cognita autem insufficientia causæ, non potest amplius uti tali lege.

40.

Probatur primò, hæc secunda sententia, & nostra resolutio, quia in omni potestate, seu commissione alicui data ad dispensandum, quamvis sit concessa à Deo, semper subintelligitur illa clausula, iusta subsistente causa, ergo si non adsit causa iusta, dispensatio non est valida. Consequentia est bona, antecedens probatur ex illa celebri regula, in dubio tenendum est illud, quod legislator interrogatus prudentialiter, responderet; atqui si ipse legislator interrogaretur, prudentialiter responderet, non stante iusta causa, mentem suam esse non dispensare, ergo dispensatio est invalida. Confirmatur, Prælatus in suo facto non præsumitur velle peccare; atqui Prælatus inferior dispensando sine iusta causa peccat, ergo præsumitur non stante iusta causa, mentem suam esse non dispensare.

41.

Probatur secundò, Bona fides petentis dispensationem sine causa, non facit dispensationem validam; ergo nec bona fides concedentis, reddit dispensationem validam, quando concedens, existimabat iustam adesse causam, licet bona fides utrumque excuset à peccato; donec de sufficientia causæ non constet. Confirmatur primò. Quia contractus celebratus bona fide sine debita solemnitate est nullus, excepto testamento ad pias causas: nam bona fides licet excuset à peccato, non tamen supplet defectum juris, ergo & dispensatio data bona fide sine sufficienti causa, est nulla. Confirmatur, quia qui contrahunt matrimonium, per dispensationem factam à superiore bona fide sine iusta causa, ubi ipsa causa cognoscitur injusta, tale matrimonium, judicatur à superiori esse nullum, ergo talis dispensatio bona fide facta, est nulla; nam si ipsa esset valida, matrimonium etiam esset validum, & sic nunquam posset annullari ab Ecclesia.

Argues primò, quod est fundamentum primæ sententiæ. Prudentialiter non est credendum, superiorem, qui dat facultatem inferiori ad dispensandum ad conscientiam quietem, velle ut dispensatio data sine causa, sit nulla, cum ex hoc darentur multi scrupuli; ergo credendum velle, ut dispensatio sit valida; & hæc est mens Prælati circa suas leges, & etiam Dei circa suas, ut ait Sanchez citatus. Confirmatur ex l. Barbarius, de officio Prætoris, ubi facta à Præatore ex communi errore, titulo colorato, sunt valida.

42.

Respondetur, bonam Ecclesiæ gubernationem non postulare, ut valida sint, quæ bona fide fiunt, ut patet in contractu celebrato sine debita solemnitate, licet bona fide, quamvis aliunde revalidari possint, sed solum talis recta gubernatio requirit, ut quæ bona fide fiunt à peccato excusent operantem, donec de insufficientia causæ certo constet; & sic donec non constet, quietus est in conscientia; nam pro dispensatione concessa stat possessio, cum pro ea stet juris præsumptio, de Regulis juris, in 6.

43.

Ad confirmationem ex l. Barbarius, dic per talem legem solum validari ea, quæ fiunt à Prælato habente titulum coloratum cum communi errore, quantum ad jurisdictionem verbi gratia, Petrus revera non est Prælatus, quia fuit simoniace electus, tamen acta per eum sunt valida, quia aliunde darentur gravia inconvenientia, ut consideranti patebit in Prælato Religionis, vel Senatore populi, & idem dicitur de Confessario communiter bona fide existimante se esse approbatum, & se habere jurisdictionem, cum revera non habeat. Ita Henriquez, & Sanchez, Suarez, quos citat, ac sequuntur Agidius Lovan, disput. 8. dub. 3. num. 22. Bonacina de penitentia, disputatione 5. quæstione 7. punct. 5. §. 4. numero 4. At verò alia, præter ea, quæ sunt jurisdictionis non suppleunt per legem prædictam, ut patet in contractu sine solemnitate juris, vel in testamento, seu legato ad causas prophanas, sine debita solemnitate, quæ omnia sunt invalida; sic est dispensatio sine iusta causa, quia jus ad illam requirit causam iustam, sine qua dicta dispensatio est invalida.

44.

Argues secundò Bona Ecclesiastica, seu Ecclesiæ non possunt alienari sine iusta causa Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & cap. sine exceptione, n. quast. 2. & alijs multis & tamen valida est alienatio bonorum Ecclesiæ facta bona fide, sine iusta causa à Prælato existimante iustam causam subsistere, quæ revera non subsistit. Ita Glossa cap. Ad nostrum, de rebus Ecclesiæ non alienandis. Molina tract. 2. de dispens. 468. num. 14. Valquez in Opusculis, de redditibus, cap. 2. §. 2. dub. 13. n. 39. Covarruvias, & alii, quos citat, ac sequitur Bonacina

Henriq. Sanchez. Suar. Lovan. Bonacina.

45.

Glossa. Molina. Valquez. Covarr. Bonacina.

B b

disp. 3.